

**Zeitschrift:** Candollea : journal international de botanique systématique =  
international journal of systematic botany  
**Herausgeber:** Conservatoire et Jardin botaniques de la Ville de Genève  
**Band:** 3 (1926-1929)

**Artikel:** Diagnoses specierum novarum generis Gypsophila L.  
**Autor:** Schischkin, B.  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-879111>

#### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

#### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

#### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 06.08.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

DIAGNOSES SPECIERUM  
NOVARUM GENERIS GYPSOPHILA L.

autore

**B. SCHISCHKIN**

1. **Gypsophila Steupii** Schisk., sp. nov. (§ *Cespitosae* Boiss. *Fl. or.* I, p. 535). — Rhizoma crassiusculum longum, repens, caules paucos et stolones breves dense foliatos gerens. Caules floriferi a basi adscendentibus, erecti vel interdum flexuosi, simplices vel superne ramosi, glaberrimi, 30-40 cm. alti. Folia stolonum anguste linearia, 5-10 cm. longa, 1,5-2 mm. lata; folia caulina 4-5-paria internodiis multo breviora, 1,5-3 cm. tantum longa. Cymae parum numerosae, congestae, capitulum laxiusculum unicum constituentes. Bracteae ovato-lanceolatae, acuminatae, praeter nervum excurrentem omnino scariosae. Pedicelli glabri, 4-6 mm. longi. Calyx campanulatus, 5-6 mm. longus, glaberrimus ad 1/3 partitus, dentibus elliptico-oblongis margine membranaceis, apice obtusis vel breviter apiculatis. Petala alba, obovata, apice truncato-retusa, calyce duplo longiora. Ovarium 15-16 ovulatum.

Caucasus occidentalis : in jugo Mrzakan, ad fontes fluv. Tsitse (W. Steup, fl. 4. VII. 1921); in fauibus fl. Mzymta, ad rupibus Achtsu (W. Steup, fl. 25. V. 1925, typus in herb. Horti Petropolitani).

Affinis *G. tenuifoliae* M. Bieb. var. *subcapitatae* Rupr. et *G. rupestris* (Baumg.) Reich., a priori caulis altioribus, foliis longioribus, pedicellis brevioribus, floribus majoribus, a posteriori pedicellis glaberrimis, calycibus petalisque majoribus distincta.

2. **Gypsophila graciliscescens** Schisk., sp. nov. (§ *Paniculatae* Boiss. l. c.). — Perennis; rhizoma breve caules paucos fasciculosque foliorum emittens. Caules erecti, a medio ramosi, glabri, 20-25 cm. alti, ramulis erecto-patulis brevibus. Folia radicalia anguste linearia, glabra, obtusa, 3-4 cm. longa, 0,5-1 mm. lata; caulina eis similia sed breviora.

Bracteae lineares, herbaceae, marginibus anguste albo-membranaceae ; pedicelli filiformes, glaberrimi, 6-15 mm. longi. Calyx late campanulatus, viridis, glaber, 3-4 mm. longus, ad medium divisus, lobis ovatis subacutis. Corolla calyce subtriplo longior, petalis roseis, late cuneato-linearibus, apice truncato-retusis. Ovarium 16 ovulatum. Capsula ignota.

Arménia turcica : in jugo Tschingil, inter pag. Igdyr et opp. Bajazet, in clivis subalpinis ca. 1.800 m. alt. (B. Schischkin, fl. 15. V. 1916, typus in herb. Tomsk.).

Similis est *G. eleganti* M. Bieb., sed perennitate, foliis anguste linearibus (0,5-1 mm. latis), bracteis herbaceis sat diversa. A *G. diffusa* Fisch. et Mey. differt calycibus majoribus (usque ad 4 mm. longis nec 2,5), foliis angustioribus, pedicellis glaberrimis (nec glandulosis), bracteis herbaceis petalisque roseis (nec albis).

3. ***Gypsophila albida*** Schischk., sp. nov. (§ *Paniculatae* Boiss. l. c.). — Perennis ; caules, glabri, ad 50 cm. alti, e medio et infra subdichotome in panicu lamlaxiusculam, glanduloso-pilosam exceuntes. Folia ovato-lanceolata, acuta, subtrinervia, nervis lateralibus interdum vix perspicuis, glabra, marginibus sub lente papillosa, 2-3 cm. longa, 1 cm. lata. Bracteae triangulares, membranaceae, margine glandulosae, acutae. Cymulae numerosae, parviflorae, subconfertae ; flores in pedicellis glandulosis, brevibus, 1-4 mm. longis. Calyx turbinato-campanulatus, 3 mm. longus, dense albo-pruinosus et interdum parce glandulosus, nervis viridibus angustis, ad medium partitus, dentibus ovatis, albo-marginatis, acutis. Petala oblonga, apice vix retusa, in unguem attenuata, calyce  $1\frac{1}{2}$  longiora, alba. Ovarium 15-16 ovulatum. Capsula ignota.

Transcaucasia : distr. Nachitschevan prope Kunnjum (W. Lipskyi, fl. 2. VIII. 1893, typus in herb. Horti Petropolitani et in herb. Delessert).

*G. simulatrix* Bornm. et Woron. proxima, differt ramificationibus superioribus pedicellisque glanduloso-pubescentibus (nec glaberrimis), foliis latioribus, bracteis triangularibus (nec minutis linearibusque), calyce majore, dentibus calycinis acutis (nec obtusissimis, brevissime mucronulatis).

4. ***Gypsophila Briquetiana*** Schischk., sp. nov. (§ *Suffruticosae* Boiss. l. c.). — Suffrutex nanus, 5-8 cm. altus, dense ramosus, ramulis brevi-

bus, glabris. Folia infima densiuscule conferta, crassiuscula, linearia, falcato-incurva, acuta, margine et ad nervum scabrida, 1-3 cm. longa, 1-2 mm. lata. Folia ramulorum pauca, eis similia sed breviora, 2-5 mm. tantum longa. Bractae parvae, subacutae, scariosae. Cymulae 5-8-florae, terminales, laxe corymbosae, pedicellis glaberrimis calyce longioribus brevioribusve. Calyx campanulatus, glaber, inter nervos late membranaceus, 3-3,5 mm. longus, ad medium lobatus, dentibus ovatis, obtusis, nervo excurrente obsolete mucronulatis. Petala pallide rosea, apice rotundata, calycem  $1\frac{1}{2}$ -plo superantia. Ovarium 8-ovulatum. Capsula ignota.

*Armenia turcica* : sandshak Erzerum, in declivitatibus meridionalibus siccis jugi Karakola non procul ab oppido Chnys-Kala in regione montana, alt. ca. 1700 m. (W. Sapošnikov et B. Schischkin, fl. 26. VII. 1916, typus in herb. Delessert et in herb. Tomskense).

Affinis *G. brachypetala* Trautv., sed differt caulibus pumilis suffrutescentibus, foliis parvis (nec usque ad 5 cm. longis), bracteis omnino scariosis, calycibus brevioribus, cymulis laxis (nec dense corymbosis). Non dissimilis est atque *G. Nabelekii* Schischk., nom. nov. [= *G. lignosa* Nabel. *Iter persico-turicum*, Pars I, p. 42 (1923) non *G. lignosa* Hemsl. et Lace in *Journ. Linn. Soc.* XXVIII (1891), p. 322] a qua differt foliis anguste linearibus (nec linearis-lanceolatis), marginibus et nervo medio scabris (nec glabris), petalis apice integris (nec retusis), cymulis laxe 5-8-floris (nec congestis 2-3-floris).

5. ***Gypsophila Lipskyi*** Schischk., sp. nov. (§ *Suffruticosae* Boiss. l. c.). — Basi suffrutescens, dense ramosa, ramis erectis, in parte inferiore minute papillosis, superne glabris, ramulosis, 10-20 cm. altis. Folia pauca anguste-linearia, crassiuscula, uninervia, glabra, marginibus scabra, acuta, ad 1 cm. longa, 0,5-0,7 mm. crassa, internodiis multo breviora. Bractae minutae, ovato-lanceolatae, acutae, herbaceae, marginibus anguste scariosae. Cymulae pauciflorae; flores in pedicellis glabris, 3-10 mm. longis, erectis. Calyx late campanulatus, glaber, 3 mm. longus, ad medium divisus, dentibus oblongis, margine scariosis, apice obtusis subrotundatis. Petala rosea, oblongo-linearia, apice retusa, calyce subdupo longiora. Ovarium 8 ovulatum.

Transcaucasia : Ganza (W. Lipskyi, fl. 26. VI. 1893, typus in herb. Hort. Petropol. et herb. Delessert).

Similis *G. curvifoliae* Fenzl, sed caulis humilioribus, pedicellis calycibusque glaberrimis, laciniis calycinis obtusis sat distincta. A *G. virgata* Boiss. differt statura multo humiliore, foliis angustioribus brevioribusque non caducis et calyce majore.

6. ***Gypsophila syriaca* Schischk., sp. nov. (§ *Capitatae* Boiss. l. c.).** — Basi suffrutescens, ramis numerosis, glabris simplicibus, gracilibus, 15-25 cm. altis, ad 1 mm. crassis. Folia glabra, acuta, supra planiuscula subtus convexa, in sectione transversali subtriquetra, internodiis saepissime breviora, 1-2 cm. longa, 0,5-0,8 mm. crassa. Flores subsessiles parum numerosi in capitulum hemisphaericum, diametro 5-8 mm., basi foliis floralibus involucratum, dense congesti. Bracteae interflo- rales oblongo-triangulares, margine membranaceae, acuminate, floribus breviores. Calyx turbinato-campanulatus 3-4 mm. longus ad  $\frac{1}{3}$  divisus, dentibus obtusis nervo excurrente breviter apiculatis. Petala alba, oblongo-linearia, calycem ad tertiam partem superantia. Stamina exserta; styli ovario quadruplo longiores. Ovarium 8 ovulatum.

Syria borealis : Amanus, in monte Djuldjul, alt. 1500-2000 m. (M. Haradjan, fl. VIII. 1911, typus in herb. Delessert).

Proxima *G. sphaerocephalae* Fenzl sed ramis tenuioribus brevioribusque, foliis multo brevioribus, capitulis hemisphaericis, calycibus ad tertium partem (nec ultra medium) divisis, dentibus obtusis vix apiculatis (nec acuminatis) statim diagnoscitur.